






1
6
117










A

PEDION



B I

IOANNIS PE-
dionei Conſtantini, ad Io
annem Iacobum Fugge-
rum Kirchpergæ, &
Vueiſſenhorni Do-
minum, de Bello
Germanico
liber.



CVM GRATIA ET PRI-
uilegio ſacræ Imperatoriæ Maieſtatis.

M. D. XLVII.

IOANNES PE-
DIONEVS, ORATOR
& Poëta Imperatorius, Ioanni Iacobo Fuggero magnifico & nobili uiro.
S. P. D.



ELLVM Germanicum ſcripturus tres Fuggere libros inſtitui. Horum qui primus eſt, iamperfectum à nobis, & abſolutum, & niſi fallor etiam emendatum ad te mitto: ut quam ſpem atq; opinionem de reliquis duobus habiturus ſis, iamnunc animo tecum conſtituere poſſis. Quanquam tamen & medius ad finem ferè iam properat: ſed nondum lima ea, quæ adhiberi debet, acceſſit. Nec mihi quidem in hoc præſertim genere ſcribenti ita properandum cenſeo, ut quicquam præmaturæ famæ cauſa niſi emendatum, elaboratum, perfectumque in lucem proferam. Satis, opinor, maturabo, ſi ſat bene, ut ille neſcio quis inquit: ſinuero nec bene, etiam plus ſatis mature. Veruntamē quãtulumcunq; illud ſit, ſi eodem modo, quod operis reliquum eſt, licuerit uel per ætatem, uel per ocium detexere, ac perpolire: in ſpem uenio, meam operam uiris doctis, & præclaro iudicio prudentiaque præditis hominibus me probaturum. Neq; enim uel eius iudicij pœniten-

dum uidetur, quod de hoc ipſo primo libro iam factum eſt: & quidem à doctiſſimis, quorum teſti monia fortaſſe etiam ſuo tempore prodibūt. Nam ijs quidem, quorum dignitas & gloria in hoc bel- lo agitur, dubito nullo modo: quin animum ſtudi umque meum comprobare poſſim: uel quod in cauſa magnifica, non humilimo, ut ego quidem o- pinor, orationis genere uerſatus ſim: et heróum res geſtas heroico & carmine & numero attingere co- natus. Quis autem in tali præſertim cauſa maiore uti moderatione ac modeſtia potuit, qui ne ijs qui dem, ſi modò ſe reſpicere uoluerint, ualde moleſtus ſim: quorum cauſam inuidia primum maxima grauauit: temeritatem deinde & audaciam (ut in re atroci uerbo quàm leuiſſimo utar) exitus triſtis atq; acerbus comprobauit. Sed aliud mihi ſpectan dum fuit: non quo illi mereantur ſtylo confici, quo colore depingi: uerum potius uti ad lenitatem ani- mi & clementiam ſingularem illam ac propè diui nam ſummi & imperatoris & uiri naturæ quandā exprimens ſimilitudinem: ne illis quidem admo- dum ſtylo nocerem, quibus ipſe in uictoria peper- ciſſet. Nec tantum quid hæc tempora poſtularent ſed multo magis quid poſteritas olim iudicatura & de illis, & de nobis eſſet, conſiderandum duxi. Ac in eo ſanè, quò magis laborandum fuit, uideor aſſecutus: ut neq; hiſtoriæ ſimplici ac nuda uerita te contentus: neq; ob artificium carminis, quæ re-

motiora

motiora à fide & ueritate sunt arripiens, me uel inuisum alijs, uel alijs obscurum reddiderim: sed ita historiam, tanquam poema, & ita carmē tanquam historiam tractans, in hac certè fidem: in illo uero etiam ornatum quendam spectari uolui. Ad te autem Ioānes Iacobe Fuggere hoc opus meum, quo adhuc nullum maius, maiorisquè operæ & industriæ suscepi tractandum, hac de causa potissimum mitto, non uti ad armatum, & eum (ut pleriq; solent, & ego certè potuissem) qui aliqua huiusce belli præcipua pars fuisset: sed uti ad eum, qui in pace spectator esse: quàm actor in bello maluerit: & eum deniq;, qui initia huius calamitosissimi belli & sapienter præuideris, & diligenter caueris, authorquè fueris ciuibus tuis: ut Maiestatem diuini Imperatoris obsequio potius & pietate uenerari ac conseruare uellent: quàm eiusdem potestatem, quę hodiè totam ferè Europam amplectitur, armis & iniurijs tentandam ac uiolandam putarent. Qui certè si tuam essent & prudentiam & authoritatem secuti, non remp. non patriam in commune discrimen dedissent: non se suosquè in tot calamitates præcipitassent. Itaq; pacem bello rectè tu quidem præponendam putasti. Tu idem postquam nec consilio, neq; authoritati bonorum, & bene sentientium ciuium, locum uidisti, abesse à locis illis maluisti: quàm uidere quæ agerentur: neque ullo modo particeps esse uoluisti earum actionū, quas

 nunquam

nunquã probauisti: ne aliqua re, aut fidei, aut con-
stantiæ tuæ uidereris defuisse. Iam postquam incli
nata res est, & uictoria per eum constituta, ad quẽ
Deus ipse immortalis, ad quẽ fortuna hominesq́ue omnia ornamenta contulerunt: cuius uictoria
& domi dignitas, & foris authoritas retenta est,
non defuisti, quãtum in te fuit, patriæ: & cui re in-
tegra nõ potuisti persuadere, quid sequendum es-
set: is adflictę opem tulisti. In quo quidem eximia
laus extitit Antonij Fuggeri, magni & præclari ui-
ri patrui tui: qui etiam priuatã iniuriam quorundã
audacissimorum hominum, pietati, quam patriæ
debebat, postponẽs, deprecatoris uicem apud Cæ-
sarem gerere sustinuit, & iram uictoris armati ora-
tione, ac multo uerius gratia & caritate nominis
sui lenijt atq; mitigauit: ciues patriæ, patriam ciui-
bus restituit. Cui quidem si priscis illis tempori-
bus uixisset, cum pro pietate bene merito ciui ho-
nores, & immortalis gloriæ præmia ciuitas con-
stituit, non certè supplicationes multorũ dierum,
non equestris & inaurata statua, non honores om-
nes satisfacturi uiderentur. Huc accedit illa quoq;
causa, quòd ad te potissimum mitto: ut quo ani-
mo erga te sim, fuerimq; iamdiu, quo scilicet om-
nes ferè studiosi, doctiq́ue uiri nostro tempore
sunt, ex me aliquo illustriore argumẽto cognosce-
res. Deinde ad quos potius conuenit mittere lucu-
brationes suas omnes eruditos, quàm ad eos, qui
miri-

mirificè literas diligunt, literatorum hominum cogitationes uenerantur, studiaque promouent: Inter quos Fuggere tu principem hodiè locum obtines. In quo quidem præclarè sentis exempla te domestica habere ad imitandum. Primum quidem parentis tui Raimundi Fuggeri summi & singularis uiri, & intueris quotidie Antonium patruum: quorum liberalitate & industria non minus hodiè in Germania: quam olim in Italia per Medices, literæ & literati uiri excitantur & ornantur. Tu igitur Ioannes Iacobe Fuggere hunc primum librum à nobis accipe: donec & secundum emendatum & tertium additum habeas, quod erit, ut spero, proximis annis futurum. Atque hunc quidem librum tanquam reliquorum testem scilicet ac prædem apud te, & apud cæteros esse uoluimus, ideoque publicauimus, quod nec à tuo iudicio, quod grauissimum sum arbitratus, ulla in re uelim dissentire: nec sanè honestè possim amicorum, eorumque doctorum repugnare uoluntati, qui quidem me ad hanc editionem & consiliis grauissimis excitarunt, & quotidianis ferè monitis impulerunt. Sed intelligunt nimirum, atque ego memini persæpè cum à nostris hominibus: tum uerò etiam antiquis scriptoribus, quosdam libros seiunctos ab aliis publicatos & editos fuisse, & summos poetas, Romanorumque omnium facilè principes Virgilium, Lucretium & Horatium singulos quosque

libros

libros recitaſſe conſtat, quod non meo iudicio minus eſt: quàm quicquam nos hodie librariorum manibus inuulgare. Quod autem ad me attinet, ſi à ſtudijs meis animum tuum non omnino alienum eſſe ſenſero, dabo operam ut plura aliquando & uberiora & meæ erga te beneuolentiæ, & obſeruantiæ in uniuerſam familiam tuam accipias à me documenta. Vale. 6. Calen. Sextiles, 1 5 4 7. Ingolſtadio.

IOANNIS PE-
DIONEI CONSTANTI-
ni, ad Ioannem Iacobum Fuggerum Kirch- pergæ, & Vueyssenhorni Dominum De Bello Germanico Liber.



Vo res summa loco, uoluant quibus omnia fatis
Numina, quo uastos complerint milite campos
Hinc atq; hinc collatæ acies, dum maximus armis
Fulminat Augustus bello, populumq; superbum
Carolus imperio subigit: mihi prima canendi
Cura sedet, nostræ hæc sint prima exordia musæ
Nam pia sic fortuna tulit. dijs gloria postquam
Adfuit Austriacis, uisumq; extollere regem,
Cui pater ipse deûm sceptri concessit honorem
Cui mare, cui tellus cuncta dictione pateret.
Hinc ubi turrigæ iamuper liquimus urbis
Moenia, quæ Boius spumanti perluit unda
Danubius, flauaq; solum perfundit arena.
Tu tantum, tu Diua faue, cui carmina semper
Cui cithara, & calami, & plectra sonantia cordi.
Tuq; adeò nostri princeps & carminis autor

Phoebe pater, seu te Delos materna moratur,
Seu tua te Cynthus, nec tellus gratior ulla
Detinet, atq; arcu pariter calamisq; potentem:
Seu te Nympharum tota stipante corona
Ardua suspiciunt Parnaßi culmina montis:
Phoebe faue, & primis felix haud abnue cœptis.
Tuq; ades, atq; uolans uento da uela secundo
Inceptumq; uolens mecum decurre laborem
O Fuggere decus nostrum, cui carmina uates
Certatim scriptasqúe ferunt ab Apolline chartas:
Quandoquidē spretas (miserandū) hoc tempore musas
Solus amas, famæqúe iuuas primordia nostræ.
Quem licet aßiduè tantarum pondera rerum
Detineant, duroqúe negocia munere uersent,
Sæpe tamen nostras animum deflectis adarteis,
Sæpe etiam molli sophiæ requiescere in umbra
Te iuuat, & notos Nympharum inuisere fonteis:
Siue aliud studium atq; alias accingeris artes:
Te uaga sollicitum suspendunt sidera mundi
Altius, & magnus naturæ detinet ordo:
Seu quicunq; alius rerum te postulat usus,
Huc ades, & coeptis felix allabere nostris,
Quæ tibi cunque damus uiridi sub flore iuuentæ,
Prima rudimenta, & primi instrumenta laboris.
Quòd si maturos olim firmabimus annos,

Iam-

VI
Iamq; suo solidi subsistent robore nerui,
Cæsaris arma tui, & partos tot in orbe triumphos,
Virtutesq;, uirosq; ingenti carmine dicam,
Carmine quod ueniens nonnulla redarguat ætas,
Quódque legant cupidi, longum celebrentq; nepotes.
Quin te etiam tantis iuuat hinc intexere chartis,
Aeternumque meo retinebis carmine nomen:
Nec tua uenturum morietur fama peræuum.
Sed nos interea monti ad tua iussa feramur.
Cuncta mouens animo iampridē opera atq; labores,
Omnipotens terras cœlo despexit ab alto:
Vt uidet ingratas hominum tabescere menteis,
Tot scelerum facies, tot iam miseranda per orbem:
Facta uirûm, uersatqúe graueis sub pectore curas.
Vsqueadeó apparent rari, quos crimina uitæ
Sollicitent fassos: neq; iam in pia uelle reuerti
Agmina, nec culpæ quenquam scelerisque perosum.
Prospicit Astræam, terras quæ forte petebat,
Desertosque lares, nec longo tempore uisos
Mortales, coetu niueo comitante sororum.
Hanc uidet incassum conantem, & multa parantem
Ingrato generi: tædet coeptiqúe animique.
Erigonen igitur genitor uocat, atq; ita fatur
Nata redi, mea nata, poloque illabere nostro:
Quandoquidem curas penitus meditaris inanes,

Ac frustra surdas uocem despergis in auras.
Nondum grata salus, necdum fortuna recessit
Pristina, nondum animis omnis dilapsa cupido
Rursus in antiquam quianam reuoluta ruinam
Præcipitant, atq; impia secula bella retractant?
Anne parum fuerat, patrium quòd linquere cœlum
Iampridem natum, casus qui tolleret istos
Iussimus, æternamq; uiris indicere pacem?
Multos præterea qui certa oracula uates
Edicant, mea qui terris mandata reportent,
Misimus: at tandem uiden ut nihil omnibus actum
Tantorum studijs operum? natiq; patrisq;
Obliti penitus, quin ipsum ad tristia natum
Supplicia (infandum) uæsana mente reposcunt:
Legatiq; pias miseri mactantur ad aras.
Nec tamen immitis sceleri clementia tanto
Nostra fuit, penitusúe parentis cura recessit.
Cum possem omnipotens terras abolere nocenteis
Et possem uastis diffundere montibus undas,
Omnia uel pariter rapidis absumere flammis,
Quæ non interea dedimus? non cessimus ultro
Artis, opis nostræ? potuit quæ copia rerum
Esse, fuit, neq; iam desunt uberrima regna.
(Ipsa mihi testis) uiden ut felicibus aruis
Semina parturiunt segetes, sua pascua colles?

Pampi-

VII

Pampineas fert Liber opes? sua munera Pallas?
Cur non pacati his potius, lætiq́ue fruuntur?
Cur placet inter se tanto concurrere motu
Inuictas genteis, mox una in pace futuras?
His super imposui regem, quem nostra secutum
Iussa sub imperio longè lateq́ue potentem
Ingenti imperio, cœliq; sub arce locaui.
Scilicet ut sacros obseruent omnia nutus
Cæsaris, & certis mundus regeretur habenis.
Atq; hoc nec fuerat terris clementior alter,
Iusticiaq; prior: Quo non Fernandia uirtus,
Quo pietas, sceptroq́ue pari clementia fulsit?
Non tales, non ulla tulerunt secula fratres:
Nec si iam priscum uoluantur cuncta per aurum
Atq; nouo remeent Saturnia secula mundo.
Et placet obstrepere, ignotoq; lacessere bello?
Detrectare iugum, atq; irarum quærere causas?
Quarè age si tantos iuuat exercere furores
Incassum, propria mox tandem clade quiescent.
Componentq; animos, & mutua fœdera sument:
Antè nefas te nata feras componere menteis.
Sic ait, & totum stupefecit numine cœlum.
Protinus Erigone genitoris iussa facessit,
Quam Pax, quamq; pij comitatur numē Amoris:
Pierides, Charitesq;, & flauo crine Medusa:

Tum Pietas, niueoque soror Patientia uultu:
Simplicitas, & clara Fides melioribus annis.
Parebant omnes, Iouis & conuexa petebant
Atq; hominum in terris iram miserantur inanem,
Laturæ quondam auxilium.
Scilicet hæc toto monstrabant nubila cœlo
Ventura, & fusca pingens ferrugine frontem
Phoebusq́ue, Phoebeq́ue caput uelata tenebris
Signa dabant, uastiq́ue & conscia sidera mundi
Humanum miserata genus, miserata labores.
Insuper & terra ingenti tremefacta tumultu,
Horrendumque sonans uasto sub gurgite pontus
Deseruit turpeis extremo in littore phocas:
Quotque regit pelago pascens immania Proteus
Corpora, terribili terras petiere meatu.
Tempore quin illo dominator Rhenus aquarum,
Danubiusque sacro ripas qui gurgite lambit,
Corniger & Tyberinus aquis pulcherrimus, & qui
Eridanus rapidam perlabitur Amphitriten
Intumuere, atq; horribili strepuere profundo
Immenso paßim complentes æquore terras.
Quin eadem claro monstrabant edita cœlo
Fulgura, quin eadem diri cecinere cometæ
Armati ferro latus, infandoque cruore
Tendebant triste ardentes ex æthere signum.

Ergo ubi iam terras, mundique reliquit habenas
Erigone cum fratre pio, coetuque sororum:
Continuo sæuæ nutu Iunonis eunt res,
Dissimulante deo. furijs accensa prophanis
Grassatur, superos odijs, Manesque repleuit:
Se spretam passim incusans, sua numina temni:
Nec quenquam meritos aris indicere honores:
Gradium ante omneis stimulans. qui concitus ira
Infremit horrendos acuens in corde furores:
Non illum triplici moles circundata muro,
Non centum tenuere trabes, non uincula centum
Ferrea. quin tota penitus compage soluta,
Carceris & ruptis uinclis furit undique Mauors
Arma gerens rabidoque hominum sitit ore cruorem.
Sic lupus hybernis siquando mensibus actus
(Vrget enim uæsana fames, duplicatque furorem)
Frigidus in terris Boreas premit omnia latè:
Cuncta rigent glacie passim constricta niuali,
Fontesque, fluuijq;, olim quibus acta carina
Stagnaque iam solido sustentant marmore currus.
Nullus arator equus; stabulis armenta morantur,
Cumque suis tuti requiescunt matribus agni.
Illum indignantem uideas, rabieque furentem:
At ubi uere nouo uestitur gramine tellus
Cum referunt uarios uolucrem syluæ undique cantus.

Erran-

Errantesq; uagæ pecudes sua læta requirunt
Pascua: tum prædæq; inhians, speq; ipse refectus
Arua petit, cursuq; potitus gaudet aperto.
Gradiuo horribili comes it Bellona Flagello
Dans sonitum latè, stygijsq; inuecta tenebris
Bacchatur, totumq; feri ciet agmen Auerni:
Ipsa immensa, horrenda, ingens quam cætera turba
Consequitur, Diuæq; pedem comitatur euntis
Alecto ante alias sæuis succincta colubris,
Tisiphoneq; furens, lethiq; Megæra creatrix,
Tartarei quibus est latè data cura profundi:
Iræq;, insidiæq;, & tot qui noscere rerum
Monstra uelit, Libyci uelit idem noscere arenas
Ionijue maris tumidas numerare procellas.
Ergo ubi sunt primæ commissa piacula culpæ,
Bellonæ monitu, furialiq; excita monstro
Arma fremit, cupit arma, simul rapit arma iuuentus.
Armorum sonitum latis Germania regnis
Suscitat, & stimulis urget non mollibus iras.
Nec mora quin belli falces uertuntur in usum,
Flammantisq; globos plumbo strinxere tenaci
In clades Europa tuas: multisq; futurum
Exitium crudele (nefas) lethiq; uenenum.
Vomeris hinc omnis, hinc protinus omnis aratri
Cessit amor: nullus mandet qui semina terræ

IX

Venturæque famis memor, aut qui rura Lyæi
Conserat, aut horto curet disponere plantas.
Cuncta iacent diro quoniam perculsa furore
Ah dolor, & totum sæuit Bellona per orbem.
  Nam qua se celsis urbs ingens mœnibus effert,
Vrbs antiqua, potens: turreisq; ac tecta domorum
Eminus ostentat, summoque extollit olympo.
Hanc pater Augustus (si uera est fama) Quirino
Addidit, Augustamq; suo de nomine fecit:
Quam Licus placida uiridis perlabitur unda,
Aruaq; Boiorum Sueuis discriminat agris.
Ecce hinc increpitans flagrum Bellona cruentum,
Alectó & stygia graditur stipata caterua
Prima rudimenta hinc bellis, hinc prima malorum
Causa ruit, stimulisq; animos accendit amaris.
Atq; ubi pugna placet populo, patribusq; uocatis,
Vrbe, domo, cedunt: patriæ quibus ocia curæ,
Aut qui Cæsareos grati uenerantur honores:
Aut quibus est animo melior sententia, cedunt.
Illicet armati tota dominantur in urbe:
Bellum optant omnes, dirum contra omina bellum
Quod propius cuiquam telum rapit: ille sonantem
Fert humeris arcum: galeam contra ille rubentem
Sanguineam & pariter cristis auroq; micantem
Indutus capiti, loricam aptarat habendo.

C Hic

Hic pedes, hic gladio fidens, atq; arduus hasta
Puluercam ille quatit nubem procul ære cauato
Mißilibusq; instans atq; igniuomis tormentis.
Contra ille æripidem spumantiq; ore frementem
Raptat equum, camposque uolanti calce fatigat.
Ipse inter primos excelso corpore longe
Eminet, ac nitidis fulget Sertorius armis.
Cæsaris hic quondam uictricia signa secutus
Vastarat miseræ lugubriæ mœnia Romæ:
Pannoniasq; arces, Istrini littoris oras
Transierat: Cæsar Gallum qui fœdere rupto
Sumpserat Ausoniæ uetitos sibi gentis honores
Insubrumque adeo dictas de nomine terras
Marte reposcebat demens iamque arma ferebat:
Reppulit, & uictum non æquis exuit armis.
Ille comes factis: illi hinc ter maximus heros
Contulit imperium æternoque adstrinxit honore.
Siccine grata fides? sic inuiolata uoluntas?
Quam bene apud memores clari stat gratia facti?
Ergo ubi iam penitus concepit in ossa furorem
Nec requies datur insano, nec cura medendi,
Irruit, & primæ tentat discrimina pugnæ.
Continuo miseri bello turbantur agrestes,
Et pauidæ matres rapuere sub ubera natos.
Fit clamor, uarijsque sonat plangoribus æther

Horri-

Horrisono ululatu, & flebilibus lamentis.
Præcipue queis relligio, & pia numina curæ
Diffugiunt raso insignes á uertice fratres.
Heu pietas, heu sancta fides: hæc præmia tandem
Sperastis? neq; enim uestri meruere labores
Exhausti mediosque dies, meedijsque tenebris.
At uos nec populi fasces, nec purpura fratres
Nec Romana iuuant æquata palatia cœlo:
Nec uos diuitijs unquam studuistis habendis.
Vobis grata quies, & corda insueta laborum,
Demissique animi, nec magnæ laudis egentes.
Est procul á uobis malesuada famesque, sitisque:
Durus uterque labor. medio cum Sirius æstu
Vrit agros: Boreas etiam cum frigidus horret:
Exiguam uictu Cererem, nec multa Lyæi
Munera, nec cellis unquam delecta Falernis
Viua iuuat libare, & sumptu uiuere paruo.
Cur non in syluis, non inter amœna uireta,
Fontesque, fluuiosque, & desertas conualles
Degere? non licuit studijs ignobilis oci
Panaque, Syluanumque inter, Dryadesque puellas,
Mulcentes nemora, altaque sidera uoce cientes
Expertem potius curarum ducere uitam?
Nunc ite ó miseri (neq; enim istis excidit ausis:
Quicunq; est uestros ausus uiolare penates)

Ite pij fratres: alio hinc sub sole iacentem
Quærite terram, aliosq; lares, ignotaque tecta.
Tam bona non isto potuit sub sidere frugis
Herba coli. non uestra capit præcordia tellus
Impia, dijs inuisa, malis polluta uenenis.
Respicite, ah uestris insultat sedibus hostis
Diripiunt adytus, ignemq; sub atria iactant
Tecta ruunt, uulso perrumpunt cardine postes:
Cuncta simulq; labant sæua prostrata ruina.
Impius in templo miles, miserabile uisu,
Adspicite, & sacris celebrat conuiuia mensis:
Spumantesq; deo pateras, penetralibus imis
Eruta, nec tales faciunt quæ pocula ad usus
Miscet: at hæc olim festis spectanda diebus
Optimus Alcimedon puro cælauerat auro.
Quæ postquam primæ commissa incendia pugnæ
Accepit latis diues Germania regnis.
Continuo trepidæ firmatis mœnibus urbes
Consilium inter se summis de rebus inibant
Tum promissa nouis instaurant foedera dictis,
Foedera Chalcidicas quondam damnata per aras.
Tum uero ardenti persuadent omnia uulgo,
Cæsaris immensas terraq; mariq; phalanges
Aluentare uiro & uarias se adiungere genteis
Quid uelit his. quem si fortuna sequatur amica,

Germanas cupiat cuncta ditione per urbeis
Imperium, ac sceptris terram summittere Iberis.
Nec satis id. stimulis urgent propioribus iras.
Sacra deûm, certamq; fidem, sanctosq; penates
Excindi pariter cum libertate queruntur.
Nec pudet his stolidas corrumpere uocibus aures,
Concipere & Scythico quæ uix speranda tyranno.
Sed nulla ambiguo leuis est sententia uulgo:
Dum noua: dum precij spes addita, mille sequuntur,
Ergo iussa parant, spoliantur ciuibus urbes
Ac desolantur passim cultoribus agri.
Principio Sueui exercent qui iugera campi
Arma ferunt, genus acre uirũ, indomitumq; labore,
Qui Licum, Phrasinumq; bibunt, Nicriq; fluenta:
Hercinioq; iugo populi super inclinantes,
Qui Virpergiacam terram perrumpit aratris:
Qui Gardamq; colunt, & pulchræ rura Tubingæ,
Diues opum regio, miti gratissima Baccho,
Nec non & Cereri iucunda, & læta Dianæ.
Omnes arma gerunt mens omnibus una sequendi
Qui uicina tenent, lætis quibus imperat aruis
Vlricus princeps: quo non præstantior alter
Debellare feras, & figere tela uolando:
Acer equum domitor, exploratorq; luporum
Hoc illi studium, hæc animo iucunda uoluptas,

Seu Boreas rigidis uexet mugitibus agros,
Seu Canis æstiuo flagret crudelior igni,
Venatu inuigilare, per inuia saxa, peraltos
Ducere equum monteis, cursuque relinquere uentos.
Nec requies, quin aut annosi cornua cerui,
Spumantisque caput suspendat postibus apri
Latonæ, Faunoq; sacrum. nec tarda senectus
Impedit, aut uires animi, studiumq; fatigat,
Iamq; uelut Priamus tentare pericula belli
Ausus erat iuuenum manibus tractare laborem
Iamq; diu insolitos belli, oblitosque triumphi
Ducit in arma uiros, audetq; lacessere ferro.
Post hunc iungit opes fontis qui stagna fluentis
Danubij, qui prata tenent uiridantia riuis
Ruscelli, & tremulis fluitantem cornibus Illum:
Tum quos Rhenus alit, magno qui flumine terris
Teutonicis Gallos dirimit discrimine certo,
Perque tot egregias uehitur pulcherrimus urbes
Tam multos sacris populos pater alluit undis:
Roranteis udo tollens ubi gurgite uultus
Maximus Oceano ternis sese amnibus infert.
Hinc etiam Alsatijs longe quæ maxima terris
Vrbs iacet & triplici circundata moenia muro:
Robore fossarum ingenti, miro aggere muros
Cuncta, rigat ternis circumque intraq; fluentis,

Ipsa

Ipsa potens, ueterumq; tenens se more parentum,
Iura dat, externis nusquam gens subdita sceptris,
Argentoratum prisci dixere coloni,
Atq; hodie Latio tenet urbs argentea nomen
Dat coniuratis populis in prælia nomen.
Hinc Leuci gens sæua ruunt, ueteresque Sicambri,
Hinc Vbij, populiq; omnes, quos fregerat olim
Armipotens Marius, magnum tibi Roma trophæũ
Ter sunt conati Ausonidum perrumpere classes,
Scilicet & Gallos propriæ summittere genti:
Ter domuit fuso prosternens sanguine Mauors
Romulus. & Latiæ subiecit colla cathenæ.
Vos etiam uestros hæc ipsa in bella colonos
Pomerij: uos unanimes misistis alumnos.
Vicinæ Cimbris olim confinibus urbes:
Quos uitreus pingui Rhenus fœcundat arena
Oceanusque pater spumanti perluit unda:
Gens qua non alia est pelagi perrumpere fluctus
Doctior, aut tantis explorat classibus æquor.
Vsque quod extremis rerum portatur ab Indis,
Quicquid apud Medos, Arabasque á sole perustos,
Conuectare iuuat. non illis longa remotis
Finibus Hesperia, aut latas distenta per oras
Quæ secat immensas pinguis Panchaia messes.
Omne æuum cursu teritur. aut nigra Canopi

Arũa

Arua petunt, tumidíq; natant uaga flumina Nili.
Aut iuga Persarum Graijs excisa triumphis.
Si non ingentes rerum cumulentur acerui,
Nec stet cuncta domus fulgens auro atq; argento,
Nulla modum rebus posuit gens illa parandis.
His sese adiungit uastum porrecta per æquor
Danorum regio, huc armis paritérq; parati
Tirygetæ, & diris omen Saxonia bellis,
Illa potens regio, & raris generosa metallis.
Hic illum memorant (sed fama obscurior annis)
Arminium rexisse ducem, qui consule cæso
Quintilio magna uastauit clade Quirites
Barbaricos Italo perfundens sanguine campos.
Non illi quisquam impunis se contulit hostis,
Siue acie, aut paribus placuit concurrere telis.
Nunc eadem penitus ueterum haud oblita parentum
Sed triplex regio, & reges sub gente quaterni.
Pars bello apta manus, placidæ pars apta quieti,
Ni iam communis trahat hæc in prælia mauors.
Hos super adueniens duris è montibus Hessus
Vertitur, æripedemq; citata calce fatigans
Ingenteis animos haud magno in corpore uersat.
Innumeros ducit populos, quos undiq; mittunt
Fœdera Cæsareos iam mox auctura triumphos.
Hunc cum dira suis Germania ferueret ausis,
Inque

Inque suas rueret cladeis cognata iuuentus
Ipse pater bello in medio inter tela Philippum
Sustulit, ipse potens armis & diuite regno
Sceptra Palatini uastabat marte cruento.
At coniux non illa colis adsueta Mineruæ,
Fœmina sed iuuenum manibus tractare laborem
Audax cumq; uiro simul hæc in bella ruebat.
Haud secus amborum soboles de more parentum,
Irasq;, insidiasque feroci in pectore seruat.
Vix potis est placida mentem sopire quiete,
(Ipse modum tanti, causam sciat ipse furoris)
Aut fera ciuili uersans discrimina motu
Ausus erat patrio Guelfos expellere regno:
Cum populisque urbes perturbat, & omnia miscet:
Aut (stimulant iræ memores, urgentq; furentem)
Persequitur, sæuoq; audet conuellere ferro
Regna patrum quibus est pietas, & pristina cordi
Relligio, humanas penitus qui pectore curas
Proiecere, Deumq; magis sectantur amorem.
Hunc sibi, quod sumptis longe præstaret in armis
Et rueret scelere ante alios audacior omneis,
Delegere ducem, patriæ quibus ocia curæ
Rumpere, & Austriacos ferro tentare penateis
Detrectare iugum, belloq; lacessere Diuos.
At parte ex alia populi regnator Iberi
Augustus Cæsar, genus alto á sanguine Diuum

Emicat, & multo grauidas agit ære cateruas
Quem niue candidior tum fulminis ocyor alis
Portat equus, tergo tantum asuefactus herili.
Ille agit armatos armis circundatus ipse,
Tempora sed nudus cœlo os ostendit honestum
Antè quidem summo uolitanteis æthere cernas
Romanas aquilas magno petere agmine terras.
Tum uerò toto turbari corpora cœlo
Alituum uariarum: & cuncta armenta uideres
Diffugere, atq; feras tacitis se condere syluis.
At Iouis arma gerens campo speculatus in amplo
Austriadem agnoscit dominum, regemq; salutat.
Quem comites sistunt circum plaudentibus alis
Gloriaq;, & niueis uolitans Victoria pennis:
Tum pia Libertas soror, & diuina potestas
Omnia quæque uehit secum bona Copia cornu
Adstans, unanimisque soror Rhamnusia uirgo
Ceu mater pia, quæ uarios expendere rerum
Docta, timens casus natum comitatur in omneis.
Adsistunt, regisq; sui latera undiq; cingunt
Dona dehinc Iouis imperio mandata reportant,
Ensemq; ignipotens Magno quem fecerat olim,
Magno qui princeps Germani sanguinis arces
Tybridis, & sceptro Romanum rexerat orbem.
Hunc ergo & triplicem ferroq; auroq; crepantem
Thoraca, & clypei longè admirabile textum.

Nan-

Nanq; illic patris indicio Vulcania pubes
Pinxerat imperium magnum, populosque potenteis,
Multaq; iam sceptris superaddita sceptra Latinis.
In medio regum sanctissima pectora fratres
Austriadæ magni longe, lateq; per orbem
Iura dabant: hic Auroræ qua cernitur ortus:
Ille autem Hesperias qua Sol descendit ad undas
Sceptra tenet, melior bello & præstantibus ausis.
Iampridem Calpen ultra, Herculeasque columnas
Protulit Augustum imperium, & iam marte secundo
Post fractas Gallorum acies, iterumq; subactas
Regis opes, Senonas pulsos, Rhodanique colonos,
Perfida bis tumidi conculcat cornua Rheni.
His illum studijs nitentem, hac arte uideres
Parcere subiectis, & debellare superbos.
Usqueadeo rebus non ulla est meta gerendis
(Urget honos animum, laudisque immensa cupido)
Imperio dum idem Latio sit finis & orbi.
Moxq; Scythas bello premet, & Maometica regna,
Pannoniamque omnem, quam perfidus abstulit hostis
Tum ueteres Epiri urbeis, ipsasq; Mycenas
Vi repetet, summoque uiam contendet olympo.
Hæc ubi Lemniaci miratus dona parentis,
Qualia nec priscis heroibus arma dedisset,
Induit atq; humero lætus suspendit ab alto.
Nunc uero qui sint Augusti signa secuti

Quæ uastos acies complerint undique campos
Dicite Pierides, etenim uidistis & arma
Prima ducum, uarioque undantia milite castra.
Princeps ante alios populum qui ducit Iberum
Fernandus magni soboles antiqua Toleti
Inclyta progenies tot ducta ab origine regum
Austriadæ superat quo uix iucundior alter,
Ingreditur longe sumptis acerrimus armis.
Millia multa uirûm circa, quibus imperat, & quos
Delegit bello comites, pacique ministros.
Iuxta Germanæ referens primordia gentis
Mauricus uultumque ferens animumque uirilem
Lariades: Feriæque domus non una propago.
Tum bello adsueti iuuenes, quibus effera uirtus
Visque animi præstans, Stunica & Cardonius heros,
Pattiecusque ferens antiquæ semina stirpis,
Quæ quondam Hispanis nituit clarissima terris.
Cum socerum ac generum paribus concurrere telis
Bis tibi ferales uiderunt Roma Philippi:
Impia cum sæuo est tellus tremefacta tumultu.
Sub quibus ingentes populi, quos undique mittit
Longaque & in latas Hispania dissita terras:
Narbonam qui ultra, præruptaq; saxa Pyrenes,
Auriferumq; Tagum, gelidiq; fluenta Salonis
Iuxta habitant, & Cæsarei prope flumen Iberi.
Proxima castra tenent Italis qui finibus orti,

Quorum alios Athesis fluuio deuexit amoeno:
Eridanusque alios uiolentis sustulit undis:
Benacusúe parens, magno qui corpore centum
Flumina, qui plures seruat sub gurgite Nymphas:
Cuius Apollineæ frondent in margine lauri,
Nec ripis absunt myrti, nec palma Mineruæ,
Plurimaq; Herculeis arbos quæ dedita ludis
Omnes qui Venetûm prospectant littora regum.
Tum quos coerulea foecundat Mincius unda,
Mincius Aonidum fluuius notissimus antris:
Cumque his mille uirûm comitantur gentis Hetruscæ,
Quos rigat emeritus diuinos Arnus honores,
Flumine, qui placido formosam intersecat urbem:
Et qui foecundos irrorans Abdua campos,
Labitur ac uitreo permiscet gurgite pontum.

Tum uero quorum numerusque & gloria maior
Signa mouent populi Latiæ pars altera terræ
Vltra Alpes, apicemq; biuerticis Apennini.
Quos Tybris pater in cœlum notissimus amnis,
Tybris alit, ditiq; hortos fœcundat arena,
Et nemora Hesperidum nunquam cedentia lucis.
Hos pater Ausonia conscripserat urbe Quiritum,
Idem regnatorq; hominum, diuumq; sacerdos:
Tempora cui fulgent triplici redimita corona:
Cui magnum datur imperium ac dijs æqua potestas.
Nanq; alios soluit noxa, &, quod quisq; meretur,

Alligat: hos cœlo atq; hos Tartara ad infima mittit
Pœnarum capita, & sæuæ ludibria mortis.
Isque ubi Bellonæ stimulis furialibus actas
Accipit indomitas pariter concurrere genteis,
Vnus ne nobis cunctando destituat rem,
Romanus princeps Romanum uindicat orbem,
Libertatis opus geminosq; in bella nepotes
Aëre. manu. & nunquam cessuris instruit armis.
Horum alter Latij floret pars magna Senatus
Nomen aui referens: Octauius alter habetur
Ambo ætate pares, animis præstantibus ambo.
Ambo magnarum fatalia nomina rerum,
Nec procul hinc absunt Italæ pars ultima terræ,
Quos Vulturnus alit, culti qui rura Vesevi,
Pausylipiq; tenent colles: quos diues inundat
Sebethus, Sarnusque rigat pulcherrimus undis.
Nec non quos calidæ misere ad prælia Baiæ,
Nympharum domus, & formosi nomen Amoris,
Et pueri, & matris Baiæ gratißima cura.
Tum uero ante alios, placidi qui regna Salerni,
Caietamq; tenent, Vatisque horrenda Sibyllæ
Moenia, iam proprijs uix agnoscenda ruinis
Vndiq; conueniunt, & quo uos carmine dicam,
Parthenope quos mater in hæc certamina mittit,
Parthenope domus Aonidum, & diuina canendo:
Nec tamen apta minus, ad duri munera Martis
Armat

Armat equos, armatq; uiros, quos inclytus heros
Tolletus, patrij quem quondam ad flumen Iberi
Nympha parens ueterum clara de gente deorum
Sustulit ipse potens armis & marte secundo
Augusto regi, fidei non immemor unquam,
Mittit ouans equites Calabros, peditesque Sicanos.
Tertia pars hominum uarijs comitatur aboris,
Vndique quos diues latis Germania regnis
Colligit. Austriadæ iussa auxiliumque sequuntur
Francia quos gelidam seruat porrecta sub arcton,
Francia magnanimum genitrix foecunda uirorum,
Diues equum tellus, generosi mater Iacchi.
Hos omnis gemini ducunt in bella periti
Armorum iuuenes, antiqui ab origine Brenni
Progenies: Ianusque prior dominator equorum:
Et qui Germani proauitum nomen Achillis,
Casimirumque refers animo & uirtute parentem.
Millia multa equitum Carlo fortissime ducis,
Fatalesque manus regnum his aucture Quiritum,
Marchionumq; decus propagature tuorum.
Inde alios, atq; inde alios pedites, equitesque
Hac Ericus agit, dein illa parte Philippus,
Brunones ambo, & Guelphi genus: ille parentem
Te referens Erice: patris sed sorte Philippus
Inferior, regno & fortuna dignus auorum.
Nam pater ad pugnam non æquo Marte profectus

At misso prius imperio, quod deinde reposcens
Nec ui, nec uirtute uiam, nec numine certo
Expedijt, medios (miserandum) illapsus in hostes
Cum nato maiore inimicis exulat aruis
Captiuus, tenebrisque & cæco carcere pressus.
Ergo odijsq; pijs, actusque dolore Philippus
Et patris, & fratris meritos ulciscitur hosteis.
Tum princeps iuuenum, genus alto á sanguine regũ
Fernandi puer egregium patris incrementum,
Maximus Augusti comes, & fidissima cura
Vsq; hæret patruo affixus, quascunq; paratus
Ire uias, nihil egregium tolerare recusans,
Ausus & ipse malum pulchra pro laude pacisci.
Hunc cum diua parens superas misisset in auras,
Vt fama est, gremio exceptum Venus aurea fouit,
Contulit & rarum formæ præstantis honorem.
Addidit & puero iam mox sua munera Pallas,
Omnes ut rerum Sapientia panderet arteis,
Donaq; Cecropias olim celebrata per urbeis:
Vnde hominum errores excelso pectore nosset
Despicere, atq; humileis animo depellere curas.
Detulit & Iuno imperium, pater ipse deorum
Fortunam dedit, ac laudem sine fine manentem:
Hinc igitur tanti non immemor ominis, inquit
Rex genitor, Te care puer quó numina diuûm,
Quo pater omnipotens uocat, & tua candida fata,
Virtuti

Virtuti æternum uoueo Laudiq; sacratum.
Maximus á proauo memoraberis Aemilianus,
Sic ait, & fuerent nequando hæc irrita dicta,
Coelicolum regem Diuosque in uota uocauit.
Iamq; adeo, teneris cum nondum adolesceret annis,
Traditur Augusto: suo sub patruo atq; magistro
Inter equos, atq; arma uirum tua munera Mauors
Exercet magni uera instrumenta laboris.
 Quem iuxta & genere, & spacijs propioribus æui
Emanuel curamq; gerens, animumq; uirilem
Fertur equo, impatiensque moræ ruit æquore toto,
Hinc atq; hinc, gaudetq; puer decernere ferro,
(Mirus amor laudum) pro libertate suorum
Non dubitet (sed fata uetent) occumbere letho.
Quem licet arma terant, & sæui munera Martis,
Sæpe tamen sacras ad animum deflectit ad undas,
Sæpe tuas artis, tua numina uisit Apollo.
Iamq; etiam bello in medio inter martia tela
Semper eunt Musæ comites, semperq; sequuntur
Magnanimum heroum monumenta & facta priorum:
Quare agè iam magnis pergas insistere rebus
Macte animo tanto puer, & præstantibus ausis:
Mox etenim prius Allobrogum tibi debita regum
Sceptra quidem & multas proprijs cũ gentibus urbeis,
Tum quæcunq; pio genitori perfidus hostis
Abstulerat, quæcunq; inimicus & hauserat ensis

Restituent & Cæsar auunculus, & tua uirtus.
Hij sunt ex cunctis regionibus arma secuti,
Tam multi numero, quam bello uiuida uirtus:
Hos pater Augustus moderator & arbiterorbis
Adfecta imperij pro maiestate Latini
Delegit contra infidos, contraque rebelles.
His igitur primum lustratis agmina cogit
Vndiq;, & infensum magna ui tendit in hostem.
Tempore quo uarias mortalia pectora curas
Soluunt, & dulci declinant lumina somno,
Aegraq; sperata potiuntur membra quiete
Alituum, pecudumq; simul, pelagoq; natantum:
Cum uolucres etiam sistunt sua flumina cursus.
At non Austriades heros, non ipsa quiescunt
Agmina, quæsitas donec uertuntur ad oras.
Et iam clara dies primo fulgebat eoo
Cum multo aërij sparguntur lumine montes:
Vrbem aspectabant Auri de nomine dictam,
Danubius quam cæruleis allabitur undis.
Hanc Bauarus quondam ductor qui bella perosus
Augustam Musis sedem, studijsque sacrauit:
Nunc eadem Phoebo, pariter Martiq; tenebat
Apta locum studijs, & propugnacula bello.
Haud procul oppositas acies, inimicaq; castra
Prospectant, Italisq; infensum gentibus Hessum,
Multa uolutantem necquicquam, & uana tumentem.

Isque

Isq; ubi iam Hesperium medio uidet agmine regem,
Sidereasq; agnoscit aues, & signa Quirini,
Haud tamen audaci penitus fiducia cessit.
Nunc nunc ô socij quo gloria, quo ipsa uocat res
Festinemus, ait: medias perrumpere classes
Ausonias, ferroq; inimicam excindere gentem
Est animus. qua nostra uocant nos fata, sequamur:
Dum trepidant, nondumq; acies coïere, neq; ullus
Agger murorum, aut fossarum robora firmant
Protinus acceleremus, & obuia castra petamus.
Siqua fides bello, si quod mihi munus in armis,
Faxo idem belli iamnunc sit finis & æui.
Austriadæ luerint crimen commune tyranni.
Hæc ait, & pariter socios accendit in arma.
Increpuit belli signum, cauaque æra corusco
Igne tonant, tremulisque lacessunt ictibus auras.
Haud secus ac densa si quondam grandine nimbus
Ictibus ingeminans terram quatit æthere abalto:
Dissultare feri magno cum murmure montes.
Diffugiunt Nymphæ saltu, & nemora ardua linquũt
Capripedes Satyri cum montiuagis Syluanis:
Ipse pater medijs refluit Neptunus ab undis:
Quæ mare, quæque colit fluuios Panopea sonanteis,
Atque Halie, atque Thetis glauco uelantur amictu
Ah pauidæ & pulchros condunt sub gurgite uultus.
Nec timor hic tantum subijt mortalibus ægris:

Horrescunt formæ pariter ratione carentes
Squamigerum, pecudumque genus, cœloque uolantum.
Non alius quondam terror peruaserat orbem,
Cum sunt terrigenæ cœlum rescindere fratres
Conati, superisque Iouem depellere tectis.
Imposuere altis necquicquam montibus Ossam
Scilicet atque Ossæ conati inuoluere Olympum.
Tum pater omnipotens uibrauit fulmina dextra.
Concussitque noua passim formidine mundum.
Aut si diluuio terras abolere iacenteis
Neptunus paret, atque undis euoluere monteis,
Iamque iterum Phthiæ redeant noua secula Pyrrhæ.
Exoritur castris primum trepidatio, & ingens
It timor, Hispanum atque Italum calefacta tumultu
Pectora, quos Cæsar uerbis affatur amicis:
Magnanimi iuuenes, qui me, meaque arma secuti
Tamque ideo procul huc uarijs uenistis ab oris:
Nec uos dulcis amor patriæ, nec cara parentum
Oscula, nec natique, exoptatique hymenæi
Detinuere, quid ô uires, quid prisca laborum
Deficiat uirtus? cur nunc tremor occupat artus?
Insolitos quid segnities ignaua moratur?
Per uos, per ueterum fortissima facta parentum,
Per me, per sceptri decus imperiumque Latini.
Ne trepidate metu. non hic Tyberina fluenta,
Non Tagus, aut patrio excipiant quæ flumina cursu:

Per

XIX

Per medios rumpenda uia est. aut hic magis arma
Armati opperiamur: adest fortuna labori,
Nec spes ulla fugæ. fortes meliora sequuntur.
Audendum dextra. sic Iuppiter ipse deum rex
Fata regit filo. Semper sit uincere nostrum.
Sic ait. at socijs redit in præcordia uirtus
Ignescunt animi: dolor & pudor excitat iras.
Nec mora densantur fulgentibus agmina campis
Incurrunt nymbi similes accensa iuuentus.
Hispani atq; Itali primi in certamine martem
Exercent, ualidisq; petunt clamoribus hostem.
Haud secus ac Libycis si quondã in uallibus acrem
Turba canum prospexit aprum, seu montibus altis
Tollentemq; animos, meditantemq; arma leonem,
Subsistunt primo, nec cuiquam accedere uirtus.
Verum ubi iam sonitumque tubæ, uocemque latronis
Accepere, furor redit, & simul agmine facto
Qua uia, qua nemora alta, ruunt: nec uulnera tenent,
Hostilesque minæ, sed toti in bella feruntur.
Ni uincant, animas optent pro laude pacisci.
Haud secus Ausonijq;, & prodiga pectora uitæ
Hispani, ducis imperium, exemplumque sequuntur,
Victores, uictique: Deus, fortunaque rerum
Quæ data, cædebant pariter, pariterque cadebant.
Fabricius satus antiqua de stirpe Quirini
Ascanij genus, à Pompeio ducta propago

(Robur ob Italicum ueteres dixere Columnam)
Spumantem rapit acer equum, totusq; Latinis
Collucens armis media inter millia sæuit
Feruidus. hunc campo longe speculatus aperto
Vollandus satus Arminio, & Saxonide nympha,
Cominus ire parat. contra furit ille, furentemq;
Excipit: incurrunt gemini, martemq; lacessunt.
Ictibus ingeminant ictus, ac uulnera miscent
Vulneribus, ualidisq; sonoribus æthera complent.
Inde ruunt alij. Campana natus in urbe
Nazario genitore olim & Sebethide nympha,
Terribilis facie, & membrorum pondere uasto,
Attolens caput, atq; armorum mole superstans.
Quantam piniferis in montibus Apennini
Stare uides quercum, ramalibus & capite ingentem,
Ingentem. aëriam. sic forma fretus & armis.
Vertitur in medijs. fato cui adductus iniquo
Fit Ruus, in Cattis quem quondam uallibus, inter
Vmbriferum nemus, & spumantem uortice Fuldam
Sublatum, syluis pater hæc in prælia misit
Adsuetus. felix patrio si more quietus
Venatu potius clausisset filius æuum,
Nunc illi (dolor ô misero rediture parenti)
Per medios artus uolat Itala cornus, & inter
Iuncturas armorum transijt hasta receptans
Eluctantem animam. pariterq; emisit in auras
Supre

Supremam uocem, & terram premit ore cruento.
Hoc simul. inde ruit medio simul æquore uictor,
Huic addens Lebenũ, & sublimem corpore Plancũ,
Pomeriumq́;, Nouumq́;, & clara gente creatum
Flaminium generis referentem signa Latini
Prisca, sed Almannis olim considerat aruis
Antiquus genitor: caput huic diffinditur, ambas
Tormento in partes, galea haud obstante nec armis.
Consurgunt studijs Itali, lætiq́; sequuntur
Hispani, clamorem ingentem ad sidera tollunt.
Castalus ut medijs miscentem prælia cernit
Nazaron, utq́; uni tot terga dedisse, tot uni
Supplicia, accensus furijs, pudor & dolor iras
Excitat, ac stimulos generoso in pectore figit:
Nec dum etiam penitus cessit Germanica uirtus
Obuius ire parans. Non te hic, ait, optima mater
Parthenope tenet, aut patrui celebrata camænis,
Nympharum illa domus, Sirenumq́; illa uoluptas,
Cognitaq́; in cœlum pulcherrima Mergilline:
Hostilem premis hanc terram, hic hostilibus aruis
Congrederis moriture: haud te tua feruida uirtus
Haud facies tetrica, & propexa in pectore barba
Eripiant morti: nil hic tibi carmina prosint
Actia, nil patrui uirtus, atque æmula Phoebo
Musa, uel è summis deducere montibus ornos,
Aut saxa, aut gelidas possit quæ flectere ualles.

Dixerat

Dixerat ardenteis uultus, ardentia torquens
Lumina: & horrendum spirans fremit ore. sed ille
Nil contra. at rapida ui concitus æquore fertur
Iam medio, iam cursu equitem, iam calce fatigat
Obuius. immanes proturbant eminus hastas
Ambo animis freti, ambo armis, uiridiq; iuuenta.
Nazarus ut summa telum contorsit opum ui
Congeminans ictum, medium qua tuta tegebant
Arma uirum, fuluoque nitescit baltheus auro,
Emensus ratione uiam, cum dissilit hasta
Dans sonitum, medioque furentis frangitur ictu.
Ille ruit contra, telumque intorquet, & urget:
Sed qua ui contra iuuenis, quibus audiat armis
Conserere? & pugna premitur perculsus iniqua.
Iamque minus fessæ præstant in corpore uires
Discussus galeam capite, & thoraca fluentem,
Infractoque æger telo, nec sufficit ensis.
Auolat ergo, & equo furibundus iapige fertur
Dentibus infrendens tamen, & sua castra requirit
Incolumis. sed nec tam longum Castalus audet
Tendere, nec quisquam curat procedere contra.
At parte ex alia densum coguntur in agmen
Hispanique, Italique, & mixti impune Latinis
Germani, quos signa notant, cristæq; iubarum
Sanguineæ: nanq; & reliquos sua signa notabant
Pallida, fatalemque metum color ipse ferebat.

Hinc

Hinc ergo atq; illinc densi iam rursus inundant,
Procurruntq; uiri fit clamor, & impete magno
Intereuntq;, ruuntq;, fluit iam terra cruore.
Haud aliter, quam si proruptis nubibus ingens
Tempestas furit, atq; altis de montibus amnes
Imbriferi terram quatiunt, magnoq; tumultu
Inuolunt, pariterq; trahunt armenta, uirosq;.
Intereunt segetes, uulgo quassata fatiscunt.
Pascua non meritis quondam cessura iuuencis.
Hispani uigilant, animis manibusque parati.
Qua tentent ratione aditus, qua peruia rumpant
Castra uia, & proprijs hostem depellere tentent
Aggeribus, fossisque: ingenti mole sequuntur
Ausonidæ, & longis obiectant corpora telis
Intrepidi, arrectæ spes, exultantiaq; intus
Pectora, percellit pauor, & furit ignea uirtus,
Germani contra numeroque & uiribus æquis
Ingeminant longis mucronibus: undiq; tellus
Pulsa tremit fremituque uirum, fremituq; & equorum
Et tandem patriæ memores uirtutis in æquor
Procurrunt medium, laudisq; iterata cupido.
Villa fuit iuxta totos spectanda per agros
Pastorum domus, & fessis gratissima sedes
Agricolis, rapido cum Sol furit improbus æstu,
Ruraque turbantur cœli contusa calore.
Iuxta densa palus, atraque putredine ripa

Adstabat longis hastilibus obsita. nunc hi
Tendunt nunc illi, certatur littore toto.
Haud secus ac clauso si quondam carcere uenti
Longum indignantes certant perrumpere uincla,
Captiuisque fremunt nodis, laxare catenas
Aeratas cœpere, & sensim cardine uerso
Panditur Aeoliæ ruptis domus alta cauernis.
Tum Zephyrusq; Notusq; ruūt, simul agmine magno
Aphricus, immensas uoluunt ad sidera moles
Spirantes immane animæ, & Neptunia regna
Tolluntur cœlo: fluctus, æstusque sub auras
Erigitur, uasto resonant freta pulsa tumultu:
Ah miseri nautæ fractis iam currere tentant
Remigijs, ah iam medijs iactantur in undis,
Semianimes clamore rates, uitamq; relinquunt.
Sic quos cura tenet summi fastigia tecti
Eruere, aut armis positos defendere muros,
Intereunt, cæciq; ruunt. pars limine primo
Proijciunt animas: pars in penetralibus imis
Confixi, aut densa uitam liquere palude.
Tandem Chalcidici uilla potiuntur, & ipsis
Parietibus loca tuta cauant, queis mittere plumbum
Flammantisque globos possent, aciesque Latinas
Oppositas penetrare, hostemq; auertere cæcis
Ignibus imposito testudine sulphure tentent
Et si uictores uel prima ea cura subisset

Cespiti-

Cespitibusq; implere domum, tormentaq; tectis
Inijcere, & tumulo fulmen demittere abalto,
Vltimus ille dies bello, uitæque fuisset
Austriadis sed fata obstant, nec tendere contra
Numina magna sinunt: nec longum tecta tenere
Est Hessis licitum, nec sic fortuna tulisset.
Hic tum Belga ferox ubi fundamenta cauauit,
Sulphuraq; in cæcis specubus nigrantia liquit,
Admouitq; ignem procul. haud subito æstus ad auras
Effurit, ac uires magis ac magis auget, & altum
Impellitque urgetque prius specus, & furit intus
Mulciber. intremere antra procul, conuulsa labare
Tellus. tum demum ruptis immane cauernis
Emicat ignis, ubiq; uolant infracta per auras
Saxa, arcesq;, tonat cœlum ingens omne fragore.
Ausonijs iam tum uetus in præcordia uirtus,
Hispanisq; subit. nanq; hostem pellere muro
Tum primum contis certant: & fulmine crebro
Terra tremit stupefacta, ingensq; exterritus æther.
Corpora multa uirum uacuas uolitare per auras
Tormentis impulsa: cadunt hinc rursus, & illinc,
Prona dies imo donec procumbit olympo
Et fessos sol sistit equos in flumine Ibero.
Considunt tandem castris & robora uallant
Murorum Aeneadæ: ingenteis in littore fossas,
Linea uela parant: alij de cespite tutos

Effodere locos. instant: pars uoluere saxa
Molirique arcem tumulo: labor improbus omnes
Sollicitat: legere etiam qui moenibus urbis
Excubias agerent. uigiles, ne quando uocarent
Securos aduersa ingenti noctis in umbra.
Quin alij pontes & propugnacula tollunt
Aggeribus, mediumque uagans Latonia uirgo
Pulsabat cœlum, & cunctas sopita iacebant
Corpora per terras, tenebris nox ima tenebat.
Austriades heros, procerumque electa iuuentus,
Magnanimusque nepos regis Fernandia proles
Nocturnum imperij summis de rebus inibant
Consilium: quid iam facerent: quæ prima laborum
Cura animo sedeat: quæ post fortuna supersit.
Vix tandem lento Cæsar procumbere somno
Coeperat, & sera laxabat membra quiete.
Ecce illi ueniens cœli delapsa per auras
Regis aui facies uisa est astare, Latini
Cui quondam imperium populi, sceptrumque fuisset:
Isque soporatum curis, animoque grauatum
Solatus, tales effudit pectore uoces.
Care nepos, uitaque ipsa, dum uita superstes,
Dulcior, ó generisque salus & gloria nostri,
Carole, quem magnus fatorum postulat ordo,
Imperium terris extendere, nomen olympo:
Ipse deum tibi me genitor demisit abalto
Qui

Qui mare, qui terras, qui mundi temperat orbem:
Atq; hæc ferre dedit superas mandata sub auras.
Te quoniam magnis animum committere rebus
Fata uolunt: Quicquid durum pro laude pacisci
Te iuuet, optati donec te numen amicum
Proferet ad uoti cumulos, laudumq; tuarum:
Non te non tantum ullius uiolentia uincat.
Nanq; furens aderit, cœlum qui territet armis,
Hessus, & insanis conatibus alta lacessat
Sidera, qui superos patrio detrudere olympo,
Quique suo tentet Neptunum euertere regno:
Vos tantum durate animis, & sistite contra
Intrepidi, donec uenti uertantur, & imbres
Tempestate cadant. nanq; hoc citius fera ponent
Fulmina, maiori quo se molimine primum
Intulerint. neq; enim primo in discrimine belli
Ingentes animi luctantis & effera uirtus
Deficient, audaxque furor. uerum ille ubi cessit
Impetus, indomiti fugient in pectore sensus:
Visque animi effusis nequicquam uiribus intus
Languescet: petet ille fugam, petet undique fessus:
Quas tum non gentes. quas non orauerit urbes
Auxilium supplex? quæ non optauerit arma?
Defessus tandem, conatu elusus inani
Succumbet, cæcaque miser formidine cedot.
Vnus erit, totam rerum qui euoluere molem
F 3 Saxo

Saxo uelit, belliq; faces extinguere tentet
Terribilis primo frustra incertamine martis:
Sed nunquam tentasse uelit: non numine iniquo
Viribus imparibus diuinam euertere gentem
Heu male conatus. patrias excisus ad undas,
Exutusq; armis casu succumbet acerbo.
Heu quales animosque uirum, quam fortia uolues
Corporaq;, armaq;, quam multo tua flumina crescent
Albi pater, tua quo pinguescent arua cruore?
Natorum in felix fatum quam triste uidebis?
Infelix mater? miseri quæ uulnera cernes
Coniugis? at non tu crudelis Carole, non tu
Nate ferox. ipsos proprijs succumbere fatis
Haud pater ipse uetet magni dominator olympi.
Et sua cuiq; deus, certo & pro numine uirtus.
Tum quicunq; prius cupidi decernere ferro
Optabant, sæua uitam pro morte pacisci.
Quam mallent dubijs uitam committere uentis,
Nunc & Carpathij fineis lustrare profundi:
Pauperiemq; pati, & duros in pace labores:
Ne temere arsissent insani martis amore.
Orabunt uicti ueniam, hinc animisq; repulsis
Cernes sollicitos dextras protendere inermes:
Tum memor & propriæ, & constans uirtutis auitæ
Supplicibus dabis: haud ullius crimina possint,
Quo tua defuerit fassæ clementia culpæ.

Nanque

Nanq; tibi ne falsa putes hæc ludere Manes:
Cum iam ter medio currum librabit olympo
Phoebus, & Hesperias toties descendet ad undas,
Ecce aderit, ualido implebit qui milite campos,
Belgarum multoque graueis aget ære cohortes
Pyrrhus per medios hostes penetrabit, & armis
Arma tuis cumulans germanæ iussa sequetur.
Ille decus belli, quo uix præstantior alter
Obsessas penetrare urbeis, & uertere muros
Ignibus, & mixto testudine sulphure adacta.
Hunc capies rerum socium, hunc tibi nate uolentem
Iungito. nam præstans animi, fidensque iuuentæ
Contemptor lucis, laudumque incensus amore est
Præcipuo. Qualis nocturnos lucifer igneis
Maiori inter luce micans superminet omnes.
Quinetiam Pyrrho magnum coniungis Othonem,
Cui sunt templa deum, cui sunt pia numina curæ,
Relligioq; patrum. illum quem maxima Pallas
Edocuit, magnumq; dedit sapientia nomen.
Hos tu consilijs socios, belliq; ministros:
Hos & pacis habe comites. sic omnia uinces
Quæ nunc ardua, quæq; tibi haud superanda uidentur.
Iamque uale, & factis ingens fer ad æthera nomen.
Sic ait, & uacuas penetrat ceu uentus in auras.
Illi autem egelido soluuntur membra sopore
Iamprimum, cæcamque relinquunt lumina noctem.

INGOLSTADII IN OFFICINA ALE-
xandri Vueissenhorn, M. D. XLVII.

Z

XXV